



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vbi illa accidentia fundentur. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

VBI ILLA ACCIDENTIA FUNDANTVR.  
DISTINCT. XII.

*De conse-  
guentibus  
ad confectio-  
nem corporis  
Chr. si quan-  
zum ad fra-  
ctionem.*

*Glos. ord. c.  
Cor. II. Ac-  
cipite &  
manducate.*

*Ioan. 6. g  
Hac referun-  
tur in eadem  
Gloss. conti-  
nuto.*

*Act. VII. 3*

**S**la. queritur de accidentibus, quæ remanent, id est, de speciebus & sapore & pondere, in quo subiecto fundentur: potius mihi videtur fatendum existere sine subiecto, quam esse in subiecto: quia ibi non est substantia, nisi corporis & sanguinis Dominici, quæ nō afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia ad mysterij ritum, ad gustus fideique suffragium: quibus Corpus Christi habens formam & naturam suam tegitur.

*Defractione & partitione.*

**S**ed etiam queri de fractione & partitione, quæ ibi viderur fieri, utrum vera sit: & si ibi vera fractio est, cuius rei sit, vel in qua re fiat. Cumq; non sit ibi alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videretur esse. Sed è contra cum ipsum corpus incorruptibile sit (quia immortale & impassibile) in ipso non posse esse viderur. Nam & Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem Christi sicut aliam in partes diuidendam, & morsibus dilacerandam: Ideo quibusdam placet, quod non sit ibi fractio sicut videretur: sed dicitur frangi, quia videretur frangi. Quibus objeicitur quod ait Ambrosius, Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis: vel sicut sit in magorum præstigijs, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse, quod non est. Ad hoc illi dicunt, Non fallit nos visus, nec fallitur: quod esset, si crederetur ita frangi, ut videretur. Nec illusio est: quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita sit: sicut & Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini: nec in eo talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.

*Alia.*